Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 77
Quelle:
Copyright:

Rer. Brunſvic. p. 493. et 497. ſummus D. *Mauritii* cultor fuiſſe dicitur, et a. 1026. in *Monte Specioſo* ad *Hildeſiam* Templum et Coenobium in ejusdem honorem condidit veriſimiliter Martyris Reliquiis ditatum, probabilior evadit conjectura, *Codicem* ad illum S. *Mauritii Montem* referendum eſſe. Statuat Lector. Finem ei imponit Officium pro Defunctis.

XXXIII.

129 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 204. f. rudi ſcriptura exhibet *Pſalterium Davidicum* cum *notis* interlinearibus et marginalibus. Praefatio incipit: *Circa materiam huius operis antequam ad materiam textus procedatur conſiderandum eſt de tribus Primo de tytulo huius libri 2° de cauſis eius 3° de ipſius libri diuiſione* &c. Notulas ſuas ex *Gloſſa ordinaria* et *Nicolao de Lyra* potiſſimum decerpſit ignotus Autor, quae in *Pſ.* I. ſic inchoant: *Iſte eſt primus pſalmus tocius libri qui nullum habet tytulum* &c. Pſalmis itidem adjunxit reliqua Bibliorum *Cantica*, *Hymnum Ambroſii*, *Symbolum* dictum *Athanaſii*, *Orationem dominicam*, *Salutationem angelicam*, et *Symbolum Apoſtolorum*.

XXXIV. VII. F. 27

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 124. 4. 455 charactere miſſali eleganter exaratus rubricis varius et Literis initialibus per intervalla auro coloribusque picturatis conſpicuus, eſt *Pſalterium Davidicum*, adjunctis, ut ſolet, *Canticis Biblicis*, *Hymno Ambroſiano*, *Oratione Dominica*, *Symbolo Apoſtolorum* et *Athanaſiano* vulgo dicto, inter quae *Symbola* interceptum eſt *Canticum Mariae* et *Simeonis*.

XXXV. VII. F. 28

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 150. 4. 456 charactere miſſali pereleganter ſcriptus, rubricis varius, et Literis initialibus per intervalla coloribus auroque fulgidus, eſt *Pſalterium Davidicum*, quod excipiunt *Cantica Biblica* interjecto *Hymno Ambroſiano*, et accedente *Symbolo* dicto *Athanaſiano*, ad cujus calcem haec minio et atramento alternant:

Et ſic eſt finis laudetur omnium finis
Detur pro pennis ſcribenti vita perennis
Sunt tria uere que me faciunt ſepe dolere
Primum reſtat durum quia ſcio me moriturum
Secundum timeo quia neſcio ubi uel quando
Tercium deflebo quia neſcio ubi manebo.

Frontiſpicium gentilitia duo Scuta exhibet, e quibus Poſſeſſorem eruo. *Auſtriacum* dextram occupat, ſiniſtram Leo *Scoticus*. Pſalterium